Osgędowski Stanislai: Quaestio de laesione ultra dimidium.

2382.

QVÆSTIO
DE
Læsione vltrá dimidium.

Ad L. 2. C. de rescind: Vendit: iuncto c. cum causa extr: de empt: & vendit:

A

M. STANISLAO OSSĘDOWSKI,

Collegâ Minore,

Publicè ad disputandum in Almâ Academiâ Crac: in Lectorio DD. Iurisconsultorum proposita.

ANNO Salutis Humanæ 1642.

Mense Iunio Die 23 Hora. 8

CRAC: *Typis Martini Philipowski.*

Ad Insignia Perillustris & Adm: Reuer:

D. ANDREÆ TARLO,

Canonici Cracouien:



Ascia, quid præstans factis, Tarlouia monstret,
Illa Dei cultum semper vbiq; fouet.
Ascia, Pontificis Petri, splendore tiaræ.
Affulsit, Tarlo, Russia testis adest.
Ascia, te ANDREA TARLO, pietate decorum,
Illustrem Mysten, fecit in arce Vauel.
Ascia te magnum magnis, sociauit, amicum.
Ascia sit felix, quæ beat illa viros.

Christophorus de Bogoriâ Skotnicki,
Studiosus Iurispr:

Perillustri & Admodum Reuerendo Dño D.

ANDREÆ TARŁO, CANONICO CRACOVIENSI, Præposito Tarnouiensi, Decano Opatouiensi, Domino & Patrono colendissimo,

FELICITATEM PERPETVAM.

LVcem publicam, antequam mea lucubratio Iuridica aspiceret, torsit plurimum dubiam mentem, sub cuius potissimum felicissimis auspiciis tutò quiesceret, Mecœnatem & Fautorem inueniret amplissimum. Atq; sic dum ancipiti hæreo animo, Patronum meæ isti qualiquali opellæ quæro, subiit mihi in mentem Perillustris & Admodum R. Domine tui honorificentissimi nominis meminisse. Haud enim me latet, te virum Illustrem, antiquissimâ & clarissimâ familiâ ortum, ita esse à naturâ constitutum, vt & omnibus faueas libenter, & patrocinium tuum singulare, in dedicandis libellis, implorantibus, succurras eò quidē libentiùs, quò te quis ardentius deligat Mecœnatem benignissimū. Mea profectò ista vilis est lucubratio, nec tuo nomine digna celeberrimo. Si tamen candorem & affectum, cuius gratiâ, sub protectione tuà certissimâ in lucem prodeat, spectes, est nemo, qui non dicat tibi gratissimam futuram. Præclara quæq; facta tua, candor ille sine fuco tuus, mille bene merendi de Academia occasiones, ita suaserunt fieri, vt istius meæ primæ velitationis Iuridicæ, te protectorem deligerem optimum. Agnoscit fauorem tuum eximiū, deprædicat liberalitatē Alma Vniuersitas, cuius bonū quàm tu promoueas fidelissimè luculentissima extant testimonia. Hoc vnum semper cogitas, vt & vtilitati publicæ augendæ, & honori Academico propagando inseruias constantissimè. Zelus verò ille, ac ardor tuus incredibilis in DIVV M IOAN: CANTIVM Patriarcham

Academicum, cui non placeat? Cuius tu imagines, quà Tarnouiæ in Ecclesiâ, quà domi, quà aliis in locis, retines frequentes, & ad sepulchrum, aramq; eius persæpe Numini Aeterno litas ardentissimè: vt in multis languoribus (quemadmodum vota per te facta testantur) adiutorem sentias fruentissimum: ille vicissim habeat te in sanctimoniâ vitæ suæ, propagatorem fidelissimum. Quis verò silentio diuturno, cætera virtutum tuarum verè heroicarum encomia, quæ tu oculis hominum, mundo, haud exoptas nota, inuoluere possit? Excurrerem equidem Perillustris & Adm: R. D. in laudes tuas copiosissimè: nisi mihi non perparum metuendum esset, ne minus, si interim elogia tua canam, quæ soli Deo cognita cupias, meam istam disceptationem ex corpore Iuris desumptam iucundam tibi futuram cognoscam. Parce Perillustris & Adm: R D calamo. Quòd si nec calamo parcere velis, à recensendis insignibus virtutibus tuis, quibus tanquam cælum sideribus, splendeas, meæ dictioni tempero. Ipsæ Ecclesiæ, Tarnouiensis, Opatouiensis, Camaldulensis, S. Annæ Crac: & aliæ innumeræ in multis diuersisq; locis sitæ, quas tu Diuini cultus ardore inflammatus, ornâsti, ditâsti, auxisti, tua egregia facinora æternùm celebrabũt, ac seræ posteritati transmittent memoriam, tuæ inclytæ gloriæ nunquam intermoriturã. Ego porrò quem & qualem te munificentissimũ Benefactorem experiar, signa, & argumenta tuæ in me non postremæ beneuolentiæ, in animo meo deposita loquuntur, loquenturq; perpetuùm. Pro omni beneficiorum genere Perillustris & Adm: R. D. totum me tibi debeo, vt & totus tuus sim, & tuus cliens existam: tibi seruire paratus, ad omnia obsequia semper promptissimus. Quid tandem virium superfuerit, id vnum agam, vt si beneficentiæ, gratiæ, & benignitati tuæ maximæ, sufficienter non respondeam, gratâ animi recordatione erga me tua summa merita, vbiq; locorum recolam. Viue diu Perillustris & Adm: R. D. Viue Deo Ter. Opt: Max: cuius cultum promoues feruentissimè. Viue felix, terq; beatus felicissimè. Hoc ipsum ex intimis præcordiis precor ac voueo.

Perillustris & Adm: R. D. V. cliens addictiss:

M. STANISLAVS Osssędovvski,
Collega Minor

QVÆSTIO.

Ad L. 2. C. de rescind: vendit: iuncto c. cum causa ext: de empt: & vendit:

V. Remedium l. 2. Cod: de rescind: vendit: competens Venditori, etiam Emptori seruire debeat, ita vt non minùs Emptor quàm Venditor deceptus, siue in pretio, siue in re æstimatâ vltrà dimidium iusti, possit agere ad rescind: contr: vel ad restitutionem eius, quò plus emit necne?

CONCLVSIO I.

ETsi naturaliter liceat contrahentibus ad inuicem sese decipere, id tamen intelligendum est, quando modica interuenit læsio, vel saltem dimidium iusti pretij non excedit.

COROLLARIA.

I. Remedium legis nostræ veteribus inusitatum, magnâ æquitatis ratione introductum est per Imperatores.

II. Locum habet hoc remedium, quando contractus ab initio est validus, secus si sit ipso iure nullus, vt potè cui dolus, error, metus causam dederit, aut aliàs de iure non subsistat.

III. Per hãc legem non rescinditur contractus Empt: Vendit: ipso iure, sed per actionem, & interueniente auctoritate Iudicis.

 IV. In

IV. Interdum rescinditur Emptio, Venditio, solo dissensu contrahentium, sed tunc non nisi re integrâ.

V. Rescissio ista restituit contrahentes in pristinū ius, statum, & conditionem, in quâ erant antequam contraherent.

CONCLVSIO II.

QVamuis lex nostra de solo Venditore, eiusq; hærede loquatur: tamen beneficium eius & dispositio, æquè seruire debet, Emptori eiusq; hæredibus.

COROLLARIA.

I. Huic remedio locus est, etiam contra tertium possessorem, primo Venditori, in bonæ fidei contractibus, non item stricti iuris.

II. Tam in agendo quàm in excipiendo rectè vtimur beneficio legis huius.

III. Possunt contrahentes renunciare huic beneficio, dum modo non generaliter, sed specialiter id exprimant.

IV. Quid si renunciationi generali accedat iuramentum, an tunc possint recurrere adhuc ad beneficium legis nostræ? verius existimo non posse: nisi veniā iuramēti impetrauerint ab Episcopo.

V. Sed quando minor facta renunciatione generali

iure

iureiurando eam firmauerit, quamuis per hoc constituatur loco maioris, tamen potest adhuc vti remedio L. nostræ.

CONCLVSIO III.

SI Venditor rescindere vult contractum, tunc censetur læsus, quando ne dimidiam partem iusti pretii percepit. At Emptor si agat contra Venditorem, tunc deceptus plùs dimidio iudicabitur, quando soluit iustum pretium, & insuper plusquam dimidiam iusti.

COROLLARIA.


I. Non placet eorum sententia, qui volũt ad hoc vt Emptor ex hac l. agere posſit, necessum esse quod soluerit duplum iusti, vel amplius.

II. Dum agitur hac actione, electio est citati, num velit restituere rem, vel supplere pretium, non verò actoris.

III. Re autem perēptâ an posſit præcisē petere pretium, vel eius diminutionem. Elige quod placet.

IV. Restituens rem emptam ex dispositione l. n. tenetur fructus, etiam bona fide perceptos restituere.

V. Sed Venditor non obligatur ad vsuras pretii, nisi fortè pro parte pretii, perceperit aliquos census, aut fructus ab Emptore, antequam totum pretium fuerit persolutum.



Sub felicibus Auſpiciis Adm: Reuerendi P. & Magnifici D. M. Iacobi Vſtienſis, Sacræ Th: & I. V. Doctoris & Profeſſoris, Eccleſiæ Collegiatæ, Sancti Floriani Cuſtodis, Almæ Vniuerſitatis Crac: Rectoris vigilantiſsimi.